

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0112

0110

0116

0106

0121

0101

0161

0061

0211

0011

0611

1111

Ende

Anfang

101

vel asinis sine insultibus Sarracenorum ducere possemus.  
Nisi enim singularis diligentia adhibeat erga emtionem et  
ductionem vini, cum pace non stabunt peregrini.

Nono, quod disponat nobis tres papilioes sive tria parva  
tentoria, quae per mansiones singulas figere possemus in locis  
deserti contra aestum solis.

Decimo, quod quilibet nostrum ipsi Trutschelmanno pro  
salvo conductu, teloneis et omnibus atque singulis supra  
memoratis XXIII persolveret ducatos, medium quidem partem  
ejusdem summae in Jerusalem dans, reliquam vero in Ga-  
zara, postquam ibi de camelis et aliis supra tactis nobis pro-  
vidisset juxta condictum et tenorem conventionis.

Undecimo, quod totus ille contractus in scriptis redactus  
sigillis domini praefecti de Jerusalem et majoris Calini in  
cancellaria signaretur et muniretur.

Duodecimo et ultimo, quod, quamdiu mansuri essemus  
in Jerusalem, liceret nobis circuire extra urbem et intra ad  
loca sancta, et quod intromitterent nos in Anastasim, quando  
peteremus, et in exitu contra montem Synai duceret nos in  
Bethlehem ibique per aliquos dies nos dimitteret et de Beth-  
lehem in Ebron, ad videndum locum plasmationis Adae et  
speluncam duplicem.

Hi sunt articuli conventionis, quos composuimus, et multa  
litigia et difficultates habuimus, antequam concordes fieri  
possemus, et concordia facta fuit, littera eadem die sigillata,  
antequam peregrini confratres nostri recederent, et duos du-  
catus pro sigillo exposuimus.

### De recessu peregrinorum a Jerusalem et repatriatione.

Eodem die, scilicet in festo sanctae Mariae Magdalena, transacta meridie, venerunt domini Mauri et Sarraci cum exercitu non modico, et omnes asinarii cum asinis in montem Syon, ut inde peregrinos tollerent et ad mare reducerent. Venerunt autem cum forti et valida manu, ut eos ab insidiis (B) protegerent in via. Sciebant enim insidias esse paratas peregrinis in via, quia divulgatum jam fuit in patria, pere-

